

† R. P. Terentius Gerardus Brown (1879–1937)

(*Prov. Hibern.*)



R. P. Terentius Gerardus Brown (Browne), qui ex hac vita d. 18 Apr. 1937 excessit, praeclaris muneribus eximie perfunctus, in urbe Dundalchensi, in Hibernia, d. 2 Nov. 1879 natus est. Nomen secundum Gerardi accepit in honorem magni nostrae Congregationis Thaumaturgi, vi voti a pia matre emissi, et huius sancti Redemptoristae favor praecipiuus Patrem Brown per totam vitam comitatus est; quinimmo sic ad Congregationem SS. Redemptoris perductus esse videtur.

Annos natus quinque iam matre orbatus est; et cum ad aetatem 14 annorum pervenisset, iuvenatum nostrum intravit, ubi quatuor annos litteris antiquis addiscendis operam dedit. Postea ad noviciatum venit, atque anno tirocinii completo d. 8 Sept. 1899 vota professus est. Magister novitiorum illius temporis, vir virtute ingenioque insignis, dicebat Fratrem Brown esse novitium exemplarem; in eo iam tunc perspicua erat

praesertim virtus caritatis fraternae, quae in tota eius vita adeo resplenduit.

Post professionem religiosam ad oppidum Teignmouth, in regione australi Angliae situm, studiorum causa profectus est; quo collegio a. 1900 vendito cum aliis suae nationis clericis per breve tempus in Hiberniam rediit, sed a. 1901 studentatum Provinciae Belgicae Beauplateau petivit, ubi d. 20 Sept. 1904 sacerdos ordinatus est.

Ad longinquum Orientem, ubi maiorem vitae suae partem transacturus erat, a. 1907 profectus, mense Maio 1911 nominatus est Rector domus Waratah (Newcastle) atque post quadriennium Rector domus in Insulis Philippinis, in civitate Manila, fundatae, sed postea derelictae. Ibi exstruxit scholam, quae statim 550 parvulos recepit; sed ex hoc numero solum quinquaginta ad primam communionem iam accesserant.

A. 1921 iterum renuntiatus est Rector domus Waratah, et postea, usque ad a. 1924, erat Rector domus Ballarat. Annos tres sequentes communitati in civitate Perth in Australia occidentali adscriptus erat. A. 1927 ad collegium Ballarat rediit qua Minister, atque ex illo loco anno sequenti in Hiberniam reversus est.

Confrater quidam, cui P. Brown erat intime coniunctus, sequentia scripsit: « P. Terentius Brown, sive Superior sive subditus, sacras traditiones Congregationis SS. Redemptoris semper sustinebat atque modeste quidem, sed firmiter Regularum observantiam tuebatur. Quamvis in missionibus nunquam praedicator valde eloquens aestimaretur, tamen ipsius mores et gravitas decora contionibus eius potentiam et gratiam conferebant singularem, ita ut multi sacerdotes ad missionem praedicandam hunc missionarium sibi peterent. Praesertim in exercitiis pro religiosis — viris et mulieribus — habendis vires ad eloquendum preeclarissimas manifestabat. »

In communitate virtus specialis Patris Brown erat *caritas non ficta*¹. Quando erat Rector, Patres ad labores apostolicos exeuntes semper ad ianuam comitabatur, adprecans eventum felicem, atque pariter ibi semper erat ut domum redeuntes salutaret. Qualis Rector, talis erat subditus, ita ut esset felicissimus, si confratribus hospitio exceptis obviam fieret. Semper cogitabat se optime egisse, si actus caritatis fecisset, affirmans saepe saepius caritatem esse officium nostrum primum in Congregatione. In hac materia R. P. Brown erat Redemptorista vere exemplaris. Haud semel de eo dictum est: « P. Brown multa, at non maligna loquitur. » Neque solam communitatem suam, sed omnes sodales Instituti nostri amplectebatur caritas defuncti confratris. Etiam Archiepiscopus Clune fel. mem.,

¹ Cfr. 2 Cor. 6, 6.

qui erat Redemptorista clarissimus, quondam caritatem Patris Brown disertis laudibus extulit.

P. Brown, postquam in patriam rediit, officium Ministri in duabus domibus idonee exercebat, etiam in missionibus et exercitiis spiritualibus tradendis laborans. Mense Ianuario anni 1935 a Superioribus constitutus est Director clarissimae confraternitatis S. Familiae in civitate Limericiensi florentis. In hoc opere exsequendo strenue laborabat, quanquam fere omnes, ipso excepto, opinabantur labore moderandae tam numerosae confraternitatis eius vires superare. Eventus hanc opinionem veram fuisse probavit; nam pressura sanguinis oppressus P. Brown d. 12 Dec. 1936 ab officio dilecto cessare coactus est et habendis quoque missionibus aut exercitiis supersedere. Viri confraternitatis sincere dolebant, et vel magis pueri, quibus P. Brown imprimis consuluerat, et qui affectu amoris ac reverentiae prosequabantur eum, qui pietatem, honestatem, fidelitatem eis iniicere satagebat.

Tamen vere adventante vir aeger adeo convaluit, ut vices Praefecti spiritualis clericorum, qui ad nosocomium iverat, ad tempus gerere posset. Tempus breve quidem, nam die Dominica 18 Aprilis, cum post celebrationem Missae, ientaculo sumpto, ad cubiculum suum, prius visitato SS. Sacramento, rediisset, paulo post aliqui studentes eum ingementem audierunt atque cito accurrentes invenerunt eum iam sensibus destitutum. Mox Patres qui sacramenta ultima ministrarent vocati sunt, atque cito post ultimam benedictionem P. Brown e vita decessit.

Permulti, inter quos erat Episcopus Clonfertensis aliique e clero saeculari, officio ac Missae die funeris, 20 Aprilis, aderant. Eodem die novus Director confraternitatis Limericiensis et aliquot Secretarii eiusdem ad domum studentatus Esker pervenerunt, ut exsequis interessent. Exm̄us et R̄m̄us Dr. Dignan ad tumulum absolutionem dedit. Ita Redemptorista genuinus, amator caritatis, amicus omnium, R. P. Brown sepultus est in tumulo apud Esker, ubi gloriosam resurrectionem exspectat. R. I. P.